



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

10. Dies Martii. Genus quoddam sanitatis est, hominem interdum non esse sanum. Salvianus Epist. 312.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

corpus tuum. Potius exulta ob beneficium, & inter  
tristia expecta auxilium, memor illius versus:

*Auxilium Christi, venit ad nos tempore tristi.*

## 10. DIES MARTII.

Genus quoddam sanitatis est, hominem  
interdum non esse sanum. *Salvianus*

*Epist. 312.*

Nec  
morbi.

I. **V**ix mente sanum dixerim, qui  
corporis sanitatem perdidisse,  
non reputet genus quoddam  
esse Divinae Misericordiae. A  
nobis, nostraq; sententia est, morbos à Deo esse: igitur  
non potest non esse beneficium, quod est à Do-  
mino benevolo, & benefico; quod omnis boni au-  
ctorem habet. Est à cœlesti Medico, qui medicum  
non minus agit cum sanat, quam cum tollit sanita-  
tem. Quid melius debes, aut potes optare, quam  
velle, & habere quod est melius? Hoc solum est,  
quod vult, & amat is, qui in se, & tibi est melior,  
Deus tuus, Deus est infinite potens, infinite sapiens,  
& infinite bonus. Plus te diligit, quam tu te ipsum;  
plus desiderat bonum tuum: melius scit quomodo  
illud consequi possis: vires habet ut tollat omnes o-  
bices, & efficiat, quod ad id expediat. Quid igitur  
cogitas, dum ob morbum tibi divinitus immis-  
sum ploras? An Deus qui est sapientia fallitur, & errat? An  
qui est Bonitas, affligit te voluntate non bonâ? An  
qui est Potentia, hic deficit nec potuit efficere, ut  
illam, quâ infestaris, ægritudinem declinares?  
Non morbus ille tibi evenit ex imbecillitate Dei,  
quasi



quasi non potuisset, aut malitia, quia noluisse, aut deceptione quasi nescivisset, malum quod pateris propulsare, sed ex sapientia, Potentia, Bonitate summa. Cur tu reprobas, quod approbant, & in quo occupantur Attributa Divina?

II. Rem pressius urgeamus. Corporis ægritudo, hoc boni affert etiam malis: homini hominem obicit, & dum infirmatur, humanæ naturæ detegit infirmitatem, ex cujus cognitione, nascitur germana fortitudo; ut jam sæpe major se ipso incipiat esse, quo incipit hæc notitiâ esse minor. Sinit deinde Deus te dolorem sentire morbi, ut dolorem concipias peccati: & sic veniendo ad summum Medicum, discas detestari summum malum. Unde vitia omnia ne se prodant, sopit. Raro alterum ad singulare certamen provocabit Paralyticus: non oberrabit resqua, & saltus, ut latrocinia committat, podagricus: eaco stomachus non se onerabit crapulâ: nec periclitatur de ebrietate, qui vini nauseam patitur: nec in venerem feretur, quem corporis dolores non sinunt de voluptate cogitare. Itaque contra dolores, morbi comites, excitandus, erigendus, & armandus est animus, contraque suos hostes in aciem educendus. Cogita igitur illud palmare argumentum. Dolor quem morbus infert, vel est remissus, vel est vastus: si remissus, facilem, si vastus, brevem requirit patientiam. Parce gemitibus, aut fugiet, aut fuget necesse est. Sic utrimque libertas est in toribus.

III. Denique morbus cum sit mortis prodromus, est instantis quoque æternitatis nuntius. Unde mortalis statim se effert supra mortalia; & terræ incolâ, jam nunc fit animo cælicolâ: nam morbi malorum



omnium finem, ac bonorum principium præfagiunt. Dic, age, si molectissimo diu clausis carcere, malè materiatum parietem rimas agere, minarique ruinam observares; an non gauderes fugæ, libertati que tuæ aditum aperiri? Annis sensim, malisque, ac denique morbis fatiscit corporis moles: gaude, brevi consequeris gloriosas corporis dotes: libertas animi proxima est: dum enim animam agis, carcer tuas rimas agit: mox animus è suis vinculis evolabit in Patriam. Aperitur tibi aditus, quo penetres cælorum adyta. Quid malè ob malam suspiras valetudinem? E morbo convalescere nil aliud est quàm reparatis ruinis firmiore claudi carcere, novisque constringi compedibus. Est ab ipsa, quàm propè manu contingebas, metâ, revocari ad carcerem. Est hostem duro conflictu prostratum surgere, reparatisque viribus certamen instaurare. Unum interim te moneo, ante morbum de vita dispone, & vitanda propone. Nam ut plurimum infirmorum infirma sunt proposita. Suffragatur mihi Poeta.

*Damon languebat, monachus tunc esse volebat,  
Ast ubi convaluit, mansit ut ante fuit.*

## II. DIES MARTII.

Nemo nisi suo vitio, miser est. *Senec. ep. 70.*

Neculla I.  
alia miseria.

**S**ub titulo Miseriæ comprehenduntur mala omnia simul conglobata. Quapropter rationibus adferendis expugnemus Miseriam simul.